


Σὺν Θεῷ

EXERCITATIONUM ETHICARUM
UNDECIMA

DE SEMIVIRTUTIBUS & VIRTUTIBUS HOMILETICIS.

Quam

Benedicente DEO Opt. Maximo

Permissu Amplissimi Collegii Philosophici

Sub Præsidio

M. JOHANNIS Reinboths
Altenburgô - Misnici.

Placidæ disquisitioni

ad diem August. horis & loco consuetis

subjicit

Respondens

JOHANNES Reymers/ Lubecensis.

Rostochi, Literis hæredum Richelianorum,
Anno ƆIƆ IƆC XXXVI.

Cum Deo!

I.

CUm eorum quæ fugienda sunt circa mores, tria observentur genera; Unum Vitiorum, alterum Incontinentiæ, & tertium feritatis; etiam ea quæ laudabiliter fiunt circa mores triplicia evadunt, Virtus, Continentia, & quidam Virtutis habitus, qui propè suprà nos est.

2. Et quia feritatis ea est ratio, ut infrà hominem abjiciat, & ad bestiarum trahat classem' in quas nec Virtus, nec vitium propriè dictum cadit; ita quoq; habitus iste tanto monstro oppositus, raptus quosdam peculiares & insolitos addit quibusdam hominibus, ut verè illud Poëtæ de se usurpare possint:

Est DEus in nobis agitante calescimus illo,
Sedibus æthereis spiritus ille venit.

illosq; suprà homines elevat, & heroës quasi efficit, unde etiam Virtus heroica appellatur.

3. Heroëm *August. l. 10. de Civ. Dei c. 21.* ἀπὸ τῆς ἥρας, ab aëre, s. Junone, cujus nescio quis filius Heros fuit nuncupatus, deducit; alii ἀπὸ τοῦ ἔρωτος ab amore & favore peculiari, DEi scil: ergà homines, quos hac prærogativa ornat, vel hominum ergà DEum, qui cum fine principium conjungere allaborant, uti *Piccol. grad. 6. c. 8.* placet. Alii ἀπὸ τοῦ εἴρειν volunt, à dicendo quòd Oratores fuerint, his flatibus moti & concitati præstantissimi heroës, in quibus cur diu hæream non videtur operæ precium esse, qui enim his argutiis delectatur legat *Ludovicum Vivem in annotat. ad cap. 21. l. 10. de Civ. Dei Augustini,* qui diffusissimus hac in re est.

4. De Virtute Heroum quæritur I. An sit species Virtutis distincta à reliquis, an verò excellentia tantùm Virtutis alicujus & gradus. Esse Virtutem non modo negavit *Scultetus,* sed etiam tra-

ctatione Ethicâ indignam judicavit, qui tamen vel ab ipso *Aristotele* potest refutari. Non enim divinus afflatus, qui hîc necessarius est, est is, quo υἱοὶ Θεοῦ ἄγονται. *Rom. 8, 14.* Hic enim non heröa, sed Christianum facit, sed talis qui etiam in Infidelibus locum habet, unde & *ipsa Script. S. Dan. 8, 5.* Alexandrum Magnum, volatu q. omnes orbis perlustrantem angulos, hoc nomine non obscurè prędicat. De Cyro etiam idem facilè ex Propheta ab aliis colligitur.

5. Prius tamen sibi defendendum sumit *Thomas 1. 2. quæst. 54. a. 3.* quibusdam rationibus innixus, cujus contrarium tamen defendunt *Piccol. 6. passim cap. præsertim 3.* ubi splendorem tantùm Virtutum moralium esse heroicam Virtutem, multis probat. *Keckermannus Cursus Philosophici Disput. 27. quæst. 14. & Casus l. 7. Speculi Moralis p. 457.* non habitu, sed gradu, non Essentiâ, sed Excellentiâ dignitatis, ab aliis eam vult esse distinctam, quibus & nos subscribimus. Hæc enim thesis haud difficulter sumitur *ex Arist. l. 6. Eth. c. 1.* ubi Heroicam Virtutem dicit Virtutis Excellentiam, potestq; facilè probari ex negatione objecti pecul aris & distincti, quod tamen aliàs ad Virtutis specificam differentiam requiritur.

6. Ubi tamen notamus, Virtutis nomen paulò aliter heroicæ competere, quàm aliis Virtutibus: Sæpè enim uno actu erumpit. (ut ideò *Keckermanni* rationem minùs solidam judicemus, qui ex eo, quod multo labore, multo sudore requiratur Virtus heroica, probare intendit, esse gradu tantùm distinctam Virtutem & principium quoddam peculiare) afflatum sc: divinum requirit, quamvis non sine obsequio etiam interno. De priori agit *Cic. l. 2. de Nat. D.* DEus enim nisi suo afflatu heroicos animos excitaverit, facultatemq; viresq; Virtutem hanc acquirendi, acquisitam excolendi, excultam exercendi largitus fuerit, frustranea erit omnis de eâ suscepta cogitatio. Atq; hinc est quod Virtus hæc divina magis, quàm humana censenda. Nemo enim Vir magnus sine afflatu divino unquam extitit.

7. An reperiatur hæc Virtus in fœminis, controversum est II. Arist: enim *1. Pol. c. 4.* id videtur negare, cujus tamen verba si

rectè

rectè inspexeris, nihil contra nostram sententiam faciunt. Nos itaq; dicimus, Mulieres posse considerari dupliciter. 1. *Generaliter* prout plurimùm esse solent, quâ ratione fœmineum genus masculino sexu est infirmius. Nam habet temperamentum humidum ac viscosum, quod facilè commovetur, variasq; sortitur mutationes, unde inconstantia oriri solet, At inde φύσει γένος ἀσθενὴς ἡ γυνή. & quod *Seneca in Hippol.* habet: Dux malorum fœmina & scelerum artifex. 2. *Specialiter* quando considerantur quatenus quædam inveniuntur quæ animo & affectibus virilibus præditæ, masculisq; viribus instructæ sunt. Natura enim sæpè fœminas facit solertes, industria eruditas, educatio pias, experientia sapientes, ut venustè loquitur Seneca. Hoc respectu Virtutem Heroicam in fœminas cadere nobis est persuasissimum.

8. Exemplo sit Semiramis, quæ quarti Regis vicem in primâ Monarchia supplevit, quas urbes illa condiderit, quas gentes rexerit, quantaq; opera molita sit, refert *Q. Curt. l. 9. de reb. Alex.* Hæc non contenta fuit terminis regni à viro acquisitis, sed Æthiopiam suo quoq; regno adjecit. De hac scribit *Justinus l. 1.* quod Virtute suâ egregiâ non modò fœminas sed & viros anteverterit. Et admirabilis *ille Alex. Mag.* neminem magis est admiratus quàm Cyrum Regem, & Semiramidem, uti habet *Curt. l. 7.*

9. Hûc referas etiam Amazones, de quibus *Justin. l. 2. & Virgil. l. 1. & 12. Æneid.*, Artemesiam Reginam Darii, de qua *Herodot. l. 1.* Camillam Volscorum, Cleopatram Ægyptiorum, Elisabetham Scotorum & Anglorum, quæ aliquot annorum decursu ad imperii gubernacula magnâ cum fortitudine & animi magnitudine consedit, inq; literis humanioribus non ineleganter versata fuit, notaq; est historia, quod cum magni nominis Poëta ab illâ stipem peteret, illaq; responderet: *Pauper ubiq; jacet.* *Et Poëta regereret*

Si foret hoc verum, quod pauper ubiq; jaceret,
In thalamo Regina tuo hac nocte cubarem.

Ingenium Poëtæ non solùm laudavit, sed etiam multis beneficiis prosecuta fuit. Et hûc refer Margaretam Waldemari tertii Danorum

norum Regis filiam, quæ Aquino Norvvegiæ Rege mortuo, duo rexit regna. Hæc ex profanis. Ex sacrâ verò Historia vide Deboram, *Judic: 4.* Judithham, *Judith: 13, 10.* Susannam, *Daniel: 13.*

10. Quemadmodum autem fœminis interdum hanc virtutem minimè esse denegandam concedimus, ita hanc minimè ad certa tempora restringere volumus. Hesiodus inprimis Saturni in seculum ferax heroum pronunciat:

Saturnus cœlo regnabat habentes
Vivebant homines nullas in pectore curas
Ut Dii felices: Nec vires curva senectus
Inflexit; similesq; pedes, similesq; fuêre
Usq; manus illis, ibant convivia læta,
Ut somno domiti fatis cessêre benignis.

Verum & adhuc hodie heroes sæpe à Deo homines concedi, experientia probat, qui sine dubio gratæ posteritati itidem non deerunt. Omnia enim regna, inquit *Seneca in Thyeste*, Respublicæ, imperia jamdudum prostrata jacerent. Sunt enim heroës horum stabilimenta, fundamenta, quibus illa innixa servantur, & consistunt. Quemadmodum ergo Græcia suos Ajaces & Hectoras, Roma suos Cæsares, Camillos & Fabricios; ita nostra quoq; ætas Gustavos Adolphos tulit, licet neq; hoc, quod *Horatius l. 3. Od. 6.* cecinit, prorsus possit repudiari

Ætas parentum pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
progeniem vitiosiorem.

11. Licet autem neq; infimæ sortis conditionis hominibus facilè hanc Virtutem concedamus, tamen an in pueros cadat dubitamus. David enim pastoris filius Goliathen vicit, *1. Reg. 17.* Neq; semper Virtus hæc familiam comitatur, cum sæpè Horöum filii noxæ. ἡρώων τέκνα πήματα; &

— — *celsæ graviore casu*
Decidunt turres, feriuntq; summos
fulmina montes.

12. In illud autem incumbat Heros 1. ut Reipubl. salus lex

ejus

ejus suprema sit. Qui enim vel dominandi libidine, vel Religionis sinceræ odio vel alio fine malo & inhonesto impetus hosce exerunt, incurrunt gravissimam Dei vindictam, *Sap.6,6.* Neq; 2. pigrè res peragat. & cunctando perdat, sed ardore summo, pariq; festinatione, non tamen sine prudentiâ opera aggrediatur, & 3. constanter finiat, & ut τετράγωνος & polus in cœlo immobilis persistat, *illius Poëtæ memor :*

Tu ne cede malis sed contra audentior ito.

certus sit quod ejus nomen ----

— — — expers

Atq; immune necis nullâq; domabitur flamma.

Inde Romanus Imperator Julius Cæsar tria hæc symbolo includebat: VENI, VIDI, VICI. Venit Heros non tantummodo ad opus, sed & operi perficiendo constanter incumbit, & ad umbilicum perducit cum laude & magno Reip. bono.

13. Restant CONTINENTIA & TOLERANTIA. Continentia est Virtus imperfecta, qua inordinati affectus omnes, in quibus alimenti Veneris rectæ rationi reluctantes, inviti subjiciuntur.

14. Imperfecta dicitur ut & sequens, quia in fieri potiùs quàm in esse consistunt, vel *ut Casus l. 4. specul. Moral. c. 9.* loquitur, sunt quasi hederæ quædam in Naturæ fronte suspensæ futurarum virtutum primitiæ, qua de caussâ etiam Semivirtutes vulgò appellantur.

15. Dubitavit Socrates an detur Incontinentia, quòd omnis actio boni suscipiatur gratiâ quod cognitum & verum judicatum non deseratur sad appetatur. Verum prolixè refutatur *ab Arist. in l. 7. Eth.* Dupliciter enim contingit aliquem scire, 1. γενικῶς ἐπιστήμη τοῦ καθόλου quando universales tenentur propositiones. v. g. quod prava voluptas sit fugienda. 2 εἰδικῶς ἐπιστήμη τῷ κατὰ μέρος, quando hæ applicantur ad facta singularia, hanc sc: fugiendam esse. Quamvis ergò universale teneant incontinentes, Ebrietatem & Venerem nocere, perturbatione tamen æstuantes, hoc poculum quia est dulce, hanc Laidem quia est delicatula, persequuntur. Verum cum in his *Arist.* & diffusus sit, & maximè perspicuus, nolumus in iis immorari.

16. Hujus

16. Hujus extremum in defectu nomine caret, quando minùs quàm decet voluptatibus utimur: In excessu verò Incontinentia, quando immoderatâ voluptate æstuat, de quâ *Medea apud Ovidium*:

Me trahit invitam nova vis, aliudq; Cupido,
Mens aliud suadet: Video meliora proboq;
Deteriora sequor. — — — —

17. *Tolerantia* est Virtus imperfecta, quâ res adversas laboriosas cum quodam dolore honestatis gratiâ perferimus. De quâ probè notandi versiculi *Horatii*:

Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitq; puer sudavit & alsit.
Abstinuit venere & vino, quâ Pythida cantat
Tibicen didicit priùs extimuitq; magistrum.

18. Tolerantiâ claruit Severus Imperator, qui *teste Herodiano*, sæpè per altissimos montes hyeme sævâ, nivibus è cœlo ingruentibus, ivit aperto capite, ut milites ad alacritatem patientiamq; laborum reipsâ cohortaretur.

19 In excessu huic apponitur pertinacia quâ modum excedimus in adversis, ita ut quævis sine, honestatis ratione perferamus: In defectu verò mollities, quando nullas planè molestias, aut dolores, honestatis gratiâ, ferre volumus

20. Hoc vitio, olim Spartani notabantur, de quorum pueris *Cic. l. 2. Tusc.* testatur, *quod ad aram sic verberibus excipiebantur, ut multus ex visceribus sanguis exiret, nonnunquam etiam ad necem, quorum modò nemo exclamavit unquam, sed ne ingemuit quidem.* Hinc cum aliquis Spartanus vulpeculam esset furatus, eamq; sub veste abditam teneret, & bestia illius latus ad intestina roderet, tacitè dissimulavit, & quibusdam eum objungantibus & dicentibus, præstare obtegere vulpeculam, quàm ad necem servare; Nequaquam dixit: *quin imò præstat doloribus immori quàm committere, ut ob mollitiem vitam lucrifecisse dicar.*

21. Agmen claudant virtutes Homeleticæ. Socratem laudavit Antiquitas, quod Philosophiam ex astris in terram deduxerit. Cum enim anteà magis contemplationi studerent, disciplinarumq; theoreticarum cognitione animum imbuerent, ipse etiam

iam practicarum noticiam subministravit, in illáq; illos sedulò informavit.

22. Scilicet benè ipsi cognitum fuit quantum momenti harum diligens tractatio ad vitam benè beatéq; degendam afferat, utpote quæ etiam inprimis id inculcet, quomodo cum aliis jucundè conversari queamus.

23. Dignissimum enim effato responsum olim reposuit Pythagoras ei, qui *malle se cum mulieribus esse, quàm cum Philosophis conversari* dixerat: ET SUES (inquiens) *in cœno libentiùs quàm in purâ aquâ versantur.* Quod enim nisi nomine bestiis distat, qui honestâ conversatione spretâ, spurcitiebus se induit hujusmodi, quas nec honestas, nec vera voluptas, aut utilitas ulla commendat.

24. Hoc autem est, quod spectat ad Homileticum, ut scilicet operam in id impendat, studeatq; quomodo cum aliis sit conversandum, ne nostra necessitas ipsi sit invisa. Nam Senecâ suasore *omnes tibi pares facies, si inferiores superbiendo non contempseris; superiores rectè vivendo non timueris, sis verior fueris judiciis, quàm sermone, & vitâ quàm vultu, cunctis benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus æquus.*

25. Et propter hoc etiam nostra Politica suppeditat Virtutes Homileticas, quæ ἐν ταῖς ὁμιλείαις, i. e. Conversationibus locum habent & conspiciuntur περὶ λόγων πράξεων καὶ κοινωνίαν, h. e. in sermonum, actionumq; communicatione *l. 2. Eth. c. 7. l. 4. c. 4. & l. 1. Magn. Mor c. 3.* Suntq; Veritas, Urbanitas & Comitas seu Humanitas, quæ differunt inter se, ita ut Veritas verum in conversationibus respiciat, sitq; ejusmodi Virtus, quâ id quod corde sentimus, ore verbis proferimus, & ipsis quoq; gestibus exprimimus; Comitas verò & Urbanitas circà jucundum, quarum tamen hæc in jocis, illa in seriis occupatur.

26. Objectum Veritatis seu Veracitatis externum non solum sunt sermo & verba, sed gestus etiam & actiones hominis, nam sicuti mendaces, ita etiam veraces dicuntur similiter in dictis, factis, & gestibus *l. 4. Eth. c. 7.*

27. In his ita sese gerat verax I. ut ipse sibi per omnia constet, sit αὐθέκαστος *l. 4. Eth. c. 7.* II. sit Veritatis Confessor, id est, ἀληθευτικὸς καὶ τῷ βίῳ καὶ τῷ λόγῳ. τὰ ὑπάρχοντα ὁμολογῶν εἶναι περὶ αὑτὸν, καὶ οὔτε μείζω, οὔτε ἐλάττω. l. c., h. e. ea quæ sibi adsunt confiteatur, eaq; nec majora nec minora faciat. III. sit æqui & boni studiosus: & IV. ἐπὶ τὸ ἔλαττον μᾶλλον τοῦ ἀληθοῦς ἀποκλίνων. l. c. id est Habitâ circumstantiarum ratione magis ad defectum quàm ad excessum deflectat.

28. Veritatem igitur 1 amabit, illiusq; amore ductus verum dicet & factum præstabit, non quia vel aliis placet, vel nobis conducit. *Ἀνθρωπάρεσκοι enim qui ut gratiam promereantur aliorum, & Φίλαυτοι, qui utilitatis propriæ gratia dicunt & agunt omnia pro hostibus Veritatis habendi sunt. Verum quidem est quod habet *Simplicius*: πάσχομεν γάρ τι δὴ ὑπὸ τῆς τῶν προσώπων δόξης, ut ipse etiam *Cic. l. 1. Tusc. qq. de Platone* dicat: Etsi nullas rationes afferret (vide quantum homini tribuam) ipse authoritate me frangeret. præferendum tamen est illud *Arist. l. 1. Eth. Amicus Plato, amicus Socrates, sed magis amica veritas.* Ἀλήθεια *enim inquit Plato lib. 5. de LL.* δὴ πάντων μὲν ἀγαθῶν θεοῖς ἡγεῖται ἢ ἀνθρώποις. *Et l. 10. de Rep.* οὐ γὰρ πρό γε τῆς ἀληθείας τιμητέος ἀνήρ.

29. Sine fuco etiam 2. aget, neq; glaucomata oculis objiciet. Nam non fuci specie veritatem pingere licet, cujus simplex idemq; semper vultus, non, ut mendacium, omnis generis minio ac cerussâ fucatum,

Odi ego ceu claustra Erebi quicunq; loquuntur
Ore aliud, tacitóq; aliud sub pectore volvunt.

30. Nihil ergò magis veritati adversum quàm quæsitæ latebræ. Talem veritas patronum requirit, qui cum rectè sentiat, loqui non metuit nec erubescit; qui verò libere illam non pronunciat defendit, jam proditor ejus factus est.

31. Neq; ideò veritas ejuranda quod extimescenda convicia, persecutiones, Verum enim est illud *Comici*: *Obsequium amicos,*

sos. Veritas odium parit. Nam *virtutis comes Invidia* ſecundum Tullium *l. 4. ad Herenn.* &

Summa petit livor perflant altiſſima venti.

Hinc Hieronymus: *Hæc eſt conditio veritatis ut eam ſemper inimicitiæ perſequantur, ſicut per adulationem pernicioſæ amicitiæ comparantur. Libenter enim, quod delectat, audimus, & offendit ſimul quod nolumus*: Ut ut autem variis invidiæ telis expoſita ſit, ad ſui tamen defenſionem ſat valida eſt veritas, *cujus potentiam ſemper tantam fuiſſe Cic. in vatin dicit, ut nullius machinis, aut cujusquam hominis ingenio aut arte ſubverti poterit, quæ licet in cauſa patronum aut defenſorem obtineat nullum, ſe per ſeipſam defendat; à cujus proindè partibus qui ſtetit, nunquam loco pulſus repulſam tulit.* Indè factum fuit quod veritas apud præclariſſimos ſummè habita fuerit, contrà verò mendacium maximè rejectum: *Artaxerxes enim linguas mentientium triſulco clavo affigi curavit. Epaminondas ne per jocum quidem unquam mendacium dixit; Pomponius autem Atticus ne audire quidem potuit mendacium.*

32. Paucis verſibus veritatis munus comprehendit *Claudianus*, ſcilicet

— — nullo liveſcere fuco
Nunquam falſa loqui nunquam promiſſa morari,
In viſos odiſſe palàm, non virus in alto
Condere, non lætam ſpeciem prætendere fraudi,
Sed certum mentiq; parem componere vultum,
Occultè ſævire vetat, prodeſſe remittit.

Huic virtuti in genere opponitur mendacium, quod duplex: Arrogantia vel diſſimulatio.

33. Extremum ergò veritatis in communi eſt Mendacium, quod vulgo *ex Auguſtino, (jure canonico 22. q. 2.) definitur, quod ſit falſa ſignificatio vocis cum voluntate ſeu intentione fallendi,* ſcil. ut eam explicat D. *Hunnius p. m. Tom. 1. Oper. Latin. loco de provident. p. 740. cum vel ex animi levitate vel nocendi ſtudio quis aliqua loquitur, aut quocunq; modo ſignificat, quàm corde ſentiat, aut res ipſa comparata ſit.*

34. In mendacio formaliter importatur διψυχία sc. cordis duplicitas בלב ולב in corde & corde sc. corde duplici, unum volens loqui, aliud facere & sic decipere, interprete *Bellarm. supra Ps. 12, 3.* Decipiendi ergo animum habet quicunq; mentitur, sive falsa loquatur sive non. Nam non statim qui falsum dicit mendacio se obstringit, quia fieri potest, ut dicat quod res non est, sed inscius & sine animo falso proferat. Imò etiamsi quis vera dicat, sed animo fallendi, mentiri censetur. Malitia enim & bonitas moralis ab electione denominantur, uti suprà docuimus. Videatur aliàs hac de materia *Chemnitius part. 2. loc. Commun. in Explic. pracept. 8. pag. 235.*

35. De Arrogantia hoc habet *Philos. l. 4 Eth. c 7.* δοκεῖ γὰρ ὁ ἀλάζων προσποιητικὸς τῶν ἐνδόξων εἶναι, καὶ μὴ ὑπαρχόντων καὶ μειζόνων, ἢ ὑπάρχει fingens illustria, quæ vel non habet vel majora, quàm habet. Inde *Hugo. Jactantia est factum mentis quando agens majora quàm sunt de se promittit*, vel ut *Cic. l. 4. Tusc. q p. 231.* reddit: *Jactantia sc: Jactatio est voluptas gestiens & se efferens insolentiùs. Hinc l. 1. Off. p. 489. ait: Deforme est, de seipso prædicare falsa præsertim, & cum irrisione audientium imitari militem gloriosum.*

36. In defectu Veracitatis vicium est εἰρωνία, quâ ea sibimet quis negat vel levissimè extenuat, quæ adesse & ipse & alii norunt. Proprium hoc ambitiosorum & inflatorum hominum vitium est, qui ut majorem sapientiæ laudem consequantur, altâ fronte dissimulant ea, quæ possident, ut aliorum confessione in lucem protracti, magis tandem magisq; inclarescant. Ad horum numerum referendum plurimi existimant *Socratem*, *qui interrogatus, quam sciret artem? respondisse fertur; se nihil scire præter id unum, quod nihil sciret.*

37. *Comitas* seu *Humanitas* est Virtus moralis in conversatione seriâ honestè oblectandi modum observans. vel uti *Aristot. l. 4 Eth. c 6.* καθ' ἣν ἀποδέξεται ἃ δεῖ, καὶ ὡς δεῖ, ὁμοίως δὲ καὶ δυσχερανεῖ. Qua quis quæ oportet & ut oportet in congressibus admittit, vel gravatè fert.

38 Ob-

38. Objectum Externum hujus Virtutis sunt sermones atq; actiones in tali conversatione oblectantes, ut aliquis I. ita converſetur ut decet, id eſt, ut tùm ad honeſtatem, tùm ad utilitatem eorum, quibus cum converſatur reſpiciat, adeò ut monendo ac amicè reprehendendo offendere eos malit, quam rem ſibi aut illis turpem atq; damnoſam approbando oblectare. Nam ut *Cic. in Lælio* ait: *Moleſta eſt veritas quia parit odium, ſed obſequium multò eſt moleſtius, quod peccatis indulgens præcipitem amicum fieri ſinit.* II. perſonarum rationem habeat, *ut enim homo eſt, ita morem geras*, inquit *Comicus.* Hoc autem quomodo fieri debeat, expreſſit *Epictetus apud Stobæum ſerm. 3.* Homo enim cum quo converſamur, aut conſideratur ut nobis præſtantior, aut inferior, aut æqualis. Præſtantiori auſcultare & obtemperare convenit: minori modeſtè perſuadere: æquali autem conſentire. III. Moleſtus nemini, ſed Jucundus omnibus ſit, ſi ſalvâ honeſtate id facere poſſit. IV. In honeſto utiliq; ſpectando non modo præſens ſed futurum quoq; tempus reſpiciat *Vid. Ariſt. l. 1. Eth. c. 6.*

39. In exceſſu peccant Ἄρεσκοι i. e. qui omnia ad nutum laudant, nec ullâ in re etiam malâ contradicunt, ideoq; hoc vitium dicitur obſequium, uti Adulatio vel aſſentatio. *l. 2. Eth. c. 1 & 7.* In defectu verò eſt Moroſitas, quæ eſt vitium quo omnibus moleſti ſumus, omniumq; dicta & facta carpimus. Undè eo qui inquinati ſunt, δύσκολοι καὶ δυσέριδες, h. e. Moroſi atq; rixoſi nominantur. Talis fuit *Nero, qui adeo moroſus (teſte Xiphilino) ac difficilis fuit, ut neq; cum ſervis neq; liberis hominibus ſermones conferret, ſed omnia quæ vellet in mandatis dare, & in libellis ſcribere conſueverit.*

40. Urbanitas eſt virtus moralis, quâ honeſtos jocos & proferre & audire dicentur ac ſine moleſtia poſſumus *l. 1. Eth c. 8.*

41. Actiones feſtivi hominis duæ ſunt. I. Jocari, II. Jocos audire. Utrobiq; requiritur, ut ea & dicere urbanus aveat, quæ viro bono atq; ingenuo conveniunt, & à Scommatis atq; opprobriis abſtineat, *lib. 4. Eth. c. 8.*

42. Opponitur Urbanitati in excessu Scurrilitas, quæ est vitium quo in Jocando quis modum excedit, neq; sibi, neq; aliis parcens, dum modo risum moveat. In defectu verò est Rusticitas, quæ est vitium, quo neq; ipsi jocari, neq; jocantes alios sine molestiâ quidem audire possunt.

Additamentum.

1. *Quo tempore Electorum Collegium institutum in Romano-Germanico Imperio dubitatur.* Cuspin. in vita Ottonis III. Munsterus Cosmogr. l. 3. c. 23. Thuanus l. 2. Histor. in pr. Schleidanus de 4. Monarch. l. 3. p. 351. Bellarminus de translat. Imperii cap. 3. *& mille alii ad Ottonis III. tempora initium referunt.*

2. *Mirum tamen 1. est quod nullus Historicus qui tunc temporis vitam egit & vetustiorum Imperatorum electiones accuratè descripsit, hujus constitutionis mentionem fecerit. Ne vestigium enim in* Witichindo, Luitprando, Lamberto, Rhegino, Mariano, Othone Frisingensi, Abbate Urspergensi, Sigeberto, & Dithmaro *apparere, ii norunt quibus prædicti authores sunt commendati.*

3. *Deinde si Othonis tempore Collegium fuisset institutum, non ejus Successores ab omni populo & civitatibus Imperialibus fuissent electi. Prius est Ergò & posterius.*

4. Heinricum II. *enim* Othonis III. *Successorem ab omni populo electum, ex* Dithmaro Episcopo Martisburgensi l. 4. *constat. Rogatus enim* Sigfridus Episcopus Coloniensis *ab Heinrico, ut suo suffragio ipsum juvaret, respondit : Quò melior & major populi pars inclinaret, se libenter assensurum.*

5. *Heinrici Successor fuit* Cunradus Salicus, *cujus historiam conscripsit* Wippo *Cancellarius Cunradi, qui actum Electionis vidit, deq; eo succedanea verba reliquit:* Archiepisc: Moguntinensis, cujus sententia ante alios accipienda fuit, rogatus à populo, quid sibi videretur, abundanti corde, hilari voce laudavit & elegit majoris ætatis suum Cunradum in Dominū &: Regem atq; Rectorē & Defensorem

rem Patriæ. Hinc sententiam cæteri Archiepiscopi & reliqui sacrorum ordinum viri, indubitanter sequebantur; tunc singuli de singulis regnis eadem verba sœpissimè repetebant. Fit clamor populi, omnes unanimiter in regis electione Principibus consentiebant, in illo persistebant, ipsum cunctis dominantibus nihilq; hæsitando præposuerunt.

6. *De* Friderici I. *Electione vide* Radevvicum in gestis ejusdem l. 2. c. 1. *&* Guntherum in lib. 1. in Ligur v 186. & seqq. *Neq;* Ottonis IV. *Anno 1208. peracta electio Electores septem habuit, uti testatur* Goldast. tom. 1. Constit. Imperat. p. 287 *&* Arnoldus Abbas Lubecensis *qui ita infert:* Indicta est curia in Halberstadt/ ubi convenerat maxima pars Prælatorum & Principum Saxoniæ & Thuringiæ, qui convenerant pari voto & unanimi consensu Othonem in Romanum Principem & semper Augustum elegerunt in nomine Patris, Filii & Spir. S.

7. *Hunc autem Ottonem IV. Collegium Electorum instituisse ex decreto Anno 1209. quod extat apud* Goldast. Tom. 3. f. 371. *colligere est.* Imperatorum nullus, *(verba sunt decreti)* hæreditarium dignitatem vindicato: Principes sex, sacri ordinis tres, Moguntinus, Trevirensis, & Coloniensis: profani totidem, Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ, & Marchio Brandeburgensis eum deligunto. Hi si discordes fuerint, Bohemiæ regem coaptanto.

JOHAN-

JOHANNES REIMARUS
ἀναγραμματίζ:
VIS'N'? HEROS I ARENAM.

Ἐξήγησις.

INgreditur Studiosa cohors certamina VIS'Ne
Cedere? Num pugnæ membra parare placet?
Quid dubitas? Fac sis HEROS; I fortis ARENAM
Miles; Victorem Laurea grata manet.

f.

Albertus Reimarus
Respondentis Fr.